

EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI;  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

Xa. 4

DISPUTATIO ME-  
DICA DE TVENDA SA-  
NITATE.

QVAM

*Deo vno & trino adiutore,*

PRÆSIDE CLA-

RISSIMO VIRO D. ANDREA

PLANERO ATHESINO, ARTIS MED-

*dica Doctore, & eiusdem in inlyta Academia Tubingensi Pro-*

*fessore ordinario, Praeceptore suo omni pietate & ob-*

*seruantia colendo 16. Nouemb. hora consueta,*

*in auditorio Medicorum, pro ingenij*

*sui tenuitate defendere co-*

*nabitur*


Ioannes Georgius Ienisch Augustanus.



TVBINGAE,

Apud Georgium Gruppenbachium.

ANNO M. D. LXXXIII.



I.  
DISPUTATIO ME-  
DICA DE TVENDA SA-  
NITATE.

THEMA I.



*Efficiens & declinans à summa illa & perfectis-  
sima sanitatis idea valetudo, etsi magnam re-  
cipiat latitudinem, tamen rectè duo eius gra-  
dus constitui possunt, quorum vnus est eorum  
corporum, quæ parùm ab optima constitutione  
deficiunt: alter eorum, quæ vehementer iam  
& multùm recesserunt, vtriusq; certæ quaedam salubres cause sunt  
adhibendæ, quibus deficientem illam valetudinem conseruare &  
custodire licet.*

2. Si namq; parùm declinat ab optima corporis constitutione  
valetudo, non nihil ab his mediocribus rebus non naturalibus est  
declinandum etiam proportionè declinationis vtriusq; valetudi-  
nis consideratæ, si multùm & longiùs recedat, proportionè etiam il-  
lius recessus causis salubribus est vtendum: Veluti si corpus in-  
sanitate conseruandum ratione qualitatis sit calidius, quàm ἐ-  
ποσσοῦ ἀπλωῶς, tùm calidiora temperatis in vsu sex rerum non na-  
turalium sunt applicanda, & si ratione quantitatis vno gradu ca-  
lidius illud corpus fuerit, vtiq; calidiora etiam vno gradu, quàm  
sint temperata, adhibita conueniunt, & salubria reddentur. Ea-  
dem in reliquis dyscrasijs est ratio.

3. Corpora ab optima constitutione parùm declinantiã varia  
& multiplicia sunt, non solum causa latitudinis, quam obtinent,  
sed multò magis propter differentias, imò ipsa genera, causa quo-  
rum à tanta illa sanitatis recedunt & declinant perfectione: Ve-

runtamen latitudo δ υσχυοίτων et minus athleticè valentium corporum, non certam conseruationis speciem, sed gradus tantum hos vel illos, secundum magis & minus discrepantes, etiam sibi vendicat, in conseruando & alterando: at discrepantia genera, specie etiam differentes alterandi & conseruandi rationes exposcunt & desiderant, de quibus hoc nomine præsertim agemus.

4. Ab hac optima constitutione quæ recedunt corpora, recedere possunt vel separatim, ratione υσχυοίτων partium similiarium, quæ non vndiquaq; laudabilis erit & εὐνοήτος, vt interim rectè se habeant partes organicae: Vel declinare possunt propter vitia quædam & errata organicarum partium, quæ non conuenientem suam magnitudinem, numerum, formationem, aut situm obtinent, ipsis interim partibus similiaribus moderatè temperatis: Vel deniq; potest complicari in tali corpore partium similiarium δ υσχυοίτων cum αὐτομέτρησιν organicarum partium, ac priores duo status, vt simplices sunt, simplicem: tertius verò, vt ipse compositus est, ita compositam sanitatis conseruandæ rationem requirit.

5. Corpus quod in temperatura euariat, & recedit ab optima temperie & constitutione, instrumentariarum autem partium seruat commoderationem, duplicem habet salubrium causarum formam: alteram quidem earum quæ ipsius conseruant temperaturam: alteram verò eam, quæ ad optimam transferunt: prior vocatur simpliciter φυλακτικὴ: altera verò ἐπανορθωτικὴ: quæ duæ generales sunt artis tuendæ sanitatis partes, ad corpora dyscrata relata, de quibus in sequentibus, ab ipsa φυλακτικῇ seu simpliciore exorsit.

6. Proinde causæ salubres, quæ in φυλακτικῇ Medicinæ parte considerantur, quibus q; temperaturam corporis conseruare, non emendare & corrigere volumus, ita se habere debent, & hoc modo comparatæ erunt, vt tantum à causis, quæ optimè temperatæ naturæ debentur, distent, quantum & totius corporis temperatura ab  
illa

illa euariat: quot namq; gradibus illud à temperato, sua dyscrasia recedit, totidem quoq; gradibus causæ salubres à simpliciter temperatis recedere debent.

7. Calidiora siquidem corpora calidioris victus rationem exposcunt, frigidiora autem frigidioris, & sicciora siccioris, & humidiora humidioris, ac secundum coniugationem calidiora ac sicciora calidioris & siccioris, eadem in reliquis etiam coniugationibus proportione seruata: semper enim simile conuenit simili, siquidem naturales illas dyscrasias in latitudine sanitatis etiamnum existentes, non tam corrigere & emendare, atq; ad mediocritatem reducere, quàm potius simpliciter conseruare, & tueri præsentem illorum valetudinis statum paulò deterioremlibeat.

8. Agnosci autem possunt ac debent singulæ dyscrasie, tam simplices quàm compositæ, exuperantijs qualitatum in partibus principalibus. Si enim exuperantiæ illæ coincidunt & conueniant, sine dubio signa, quæ eius exuperantiæ propria sunt, apparebunt: Sin differant partium principalium uocis, comparatione instituta, cognoscendum quæ qualitatum exuperantiæ præualeat & prædominetur: ac ferè cordis & epatis temperaturam sequitur temperies totius habitus corporis, quanquam & eius peculiaris quædam sunt signa minimè negligenda.

9. Calidioribus itaque corporibus calidior conuenit victus, quem definimus usu & applicatione singularum rerum non naturalium, quæ omnes calefacientes adhiberi debent, cum simili maxime conseruetur & custodiatur talis calidior corporis dyscrasia, siue à primo ortu, siue propter ἐπιτήκτωσιν quòs uideam in hæreat & accidat. Et quantum à temperato eiusmodi calidius corpus recessit, eadem quantitate victus calidus eidem præscribendus, ut similia & quantitate & qualitate talibus corporibus offerantur: nam alioqui qualitate similibus, sed quantitate & gradu dissimilibus, non tam conseruantur, quàm potius in morbum transferuntur talia corpora.

10. *Observanda de Galeni sententia, lib. 5. de emenda sanitate triplex calidi temperamenti differentia: Vna, in qua altera contrarietas, (nempe quæ in humido siccoq; consistit,) mediam temperiem servat: altera in qua siccitas resultat. Et tertia in qua vna cum calido etiam humidum redundat: Sin altera contrarietas medium teneat, nunquam est calor extremè immodicus, quandoquidem huic statim siccitas superuenit, de qua tamen calida & sicca δυσκρασία non loquimur, siquidem neq; sermo nobis est in presentia de altera composita intemperie calida & humida, sed de nuda & simplici qualitate differimus.*

11. *Frigidior victus ratio convenit corporibus frigidior temperamento, quod accipiendum est comparatione vel ad temperatam, vel certè calidior naturam, non autem absolute & simpliciter, cum absolutum & positivum frigus, in corpore etiamnum vivente locum habere non possit. Deinde alia est frigiditas, quæ accidit ætatem decursu, & ipsius caloris nativi diminutione & refrigeratione describitur, quæ nimirum dicere solemus, hominem primo die vitæ suæ calidissimum esse, in postremo autem frigidissimum: Et alia est frigida δυσκρασία ἐπιήκτως, quæ perinde ut calida conseruanda nobis proponitur.*

12. *Ipsius caloris nativi frigiditas, modò cum calida, modò cum frigida, accidentalibus scilicet illis dyscrasijs cõiungi potest & subsistere, nec necesse est, ut corpus causa ætatis frigidius redditum, simul quoq; propter accidentalem dyscrasiam sit frigidum: aliàs enim nulli inueniretur senes, qui calida præditi essent natura. Sicuti neq; necesse est, ut corpus ratione ætatis calidius aliquantum existens, calidum etiam sit propter naturam suam accidentalem: aliàs enim nulli infantes essent frigidi, quod etiam experientia repugnat, quæ cum ratione docet, singula temperamenta in singulis ætatibus reperiri.*

13. *Distinguere autem oportet humorum exuperantiam ab ipsis*





ipsis partium temperamentis, ut Gal. lib. 6. de tuenda sanitate monet: Temperaturas respicientes conseruabimus quandoq; eas similitum usu & applicatione: at humorum exuperantiam considerantes, tollenda illa, euacuanda & corrigenda magis est. Neq; semper coincidunt similes humorum exuperantia, & ipsorum corporum dyscrasia, sed fieri potest, ut quis partes corporis sui calidas obtineat, qui tamen non usq; adeo biliosus sit, sicuti frigidiores etiam naturæ, non frigidos semper & pituitosos, sed temperatos quandoq; aut etiam calidos coaceruant humores.

14. Quod si non coincidant substantialis caloris viuifici uicioris & complexionale corporis temperamentum, sed uicioris substantialis sit calida, ut in iuvene & viro, ipsarum autem partium temperamentum accidentale sit frigidum, victus frigidus planè conducit, ἐπιτήσιον φροσύνην conseruando, & substantialem uicioris nonnihil corrigendo & emendando: Si autem coincidant uicioris substantialis caloris viuifici, & complexionale partium temperamentum, ibi tum utriusq; iudicantis ratio est habenda, & potior ualentioris, non tamen altero planè neglecto.

15. Siccioribus corporibus victum similiter sicciorem prescribemus, sed distinguenda etiam hinc siccitas ipsa substantialis humidi radicalis ab illa siccitate, quæ complexionale interdum est partium temperamentum, illa neq; conseruanda aut procuranda est victu exiccante, sed potius inhibenda & remoranda contraria victus ratione, quo nomine senum particule solida redditæ, victum postulant humectantem: at ceteris corporibus natura & temperamento sicciior conuenit victus.

16. Atq; in victu exiccantæ constituimus non materialem tantum siccitatem, sed etiam ἐνεργητικὴν & actuosam, siquidem non tantum calore aut frigore, sed etiam siccitate & humiditate, tanquam causis agentibus, certæ partibus affectiones conciliantur & ingenerantur. Ac quomodo sicciiores, partium præsertim  
Princi-

principalium, temperaturæ ἐνεργητικῶς agunt: eodem cerè modo exuperans in usu sex rerum non naturalium siccitas ἀνεργητικῶς agit & mouet, & exiccandi facultatem habet.

17. Humidior corporis δυνεργητικῶς victum postulat humectantem, quo conseruetur, conseruari autem tùm debet, si κατὰ φύσιν fuerit: saluberrimum namq; & optimum hoc est temperamentum, vt docet Gal. lib. 6. de tuenda sanitate cap. 8. Sin verò exuperantia πλεοναχὸς φύσιν definiatur, pestilentissima certè illa est ἐνεργητικῶς, eodem Gal. lib. 7. meth. lib. de diff. februum, et alibi passim, authore. Et hæc non tam conseruanda, quàm omni ratione alteranda, corrigenda & emendanda est.

18. Neq; semper coincidit humidior partium solidarum natura, & ipsorum excrementorum abundantia: Senes enim, qui siccitas habent solidas corporis sui partes, excrementis nihilominus scatent, abundantq; humoribus, vt in lib. de temperamentis moneat Gal. Vnde alia humidiori partium naturæ conseruandæ conueniunt, & alia excrementis & humoribus partium educendis sunt accommodata.

19. Compositis dyscrasijs similis proportione victus & diætæ præscribi debent, & vt hoc commodè fieri possit, considerandum vnum æquales qualitates sint exuperantiæ, an inæquales, & quantum à se inuicem differant: Nam & eadem qualitate & quantitate victus similes pro conseruatione adhiberi debent, videntumq; ne vni exuperantiæ plus additi, alteram prorsus negligamus.

20. Rectè proinde causarum vtetur materia, qui naturales earum potencias agnouerit, veluti quòd motus, defectus alimenti, vigilia, excretio, & omnes animi affectus corpus exiccant: ac quæ his contraria existunt, humectant. Ita verò & calefacientia & refrigerantia vitæ instituta, & ciborum ac potuum, atq; vt simpliciter dicam, omnium quæ corpori afferuntur, materias quis noscens

scens atq; potencias, salubribus vretur causis, similia similibus af-  
ferendo, siquidem eius propositum fuerit, in eodem in quo accepe-  
rit, corporis seruare temperamentum.

21. Quòd si permutare, atq; ad melius traducere statuerit, al-  
terum est hinc causarum salubrium genus, his quidem, quas nuper  
diximus, contrarium, æqualiter verò declinans ad alteram partem  
à benè temperatis & medijs, quæ optimis naturis conuenire diceba-  
mus. Atq; huius ἐπανορθωτικῆ ἀγίας qualitate contraria sunt,  
quantitate autem similia ipsis corrigendis corporibus: tale enim  
causarum genus naturales corrigit & emendat intemperantias.

22. Corporibus ergò intemperatis & calidioribus, pro cor-  
rectione vtiliter præscribitur frigidus victus, qui talis erit, si om-  
nes sex res non naturales ad frigiditatem declinent, frigidis cor-  
poribus emendandis, contraria confert diæta, calidior scilicet,  
siccioribus temperaturis emendandis, adhibetur victus ratio hu-  
midior, humidiora autem corpora victu exiccante ad meliorem  
transferemus habitum, quod de compositis etiam dyscrasijs est in-  
telligendum.

23. Est vtriusq; φυλάξεως et ἐπανορθώσεως apud Medicos vsus  
necessarius: nam cum plurimum suppetit ocij, corrigere oportet, ac  
sensim ad meliores transferre, hominem autem necessarijs occupa-  
tionibus astrictum, præstat in eodem habitu conseruare, sicuti  
morborum etiam tempore præstat deteriore corporis κακίαν  
conseruare, quàm immutare, cum natura antea satis sit debilitata,  
vt eam noua alteratione & immutatione habitus prosternere am-  
plius & debilitare non oporteat.

24. Atq; debemus corpora dyscrata sensim & paulatim ad  
meliorem habitum transferre, non subito & confestim, quoniam na-  
tura non patitur eas quæ sunt subito alterationes. Vnde inquit  
Hippoc. lib. 2. Aphor. 51. Plurimum atq; repente vacuare & re-  
plere, vel calefacere vel refrigerare, siue quouis alio modo corpus  
B mouere,

mouere, periculosum, sed quod paulatim fit, futura est. Et lib. 2. de diæta acutorum partic. 32. inquit: Potissimum sanè & hoc argumentum, quòd maximæ mutationes eorum, quæ circa naturam nostram habitumq; contingunt, morbos committant.

25. Causæ salubres, quæ corporum δυσκρασίας emendant, aliàs αἰλλοιωτικὰ αἰτία, quòd priorem habitum alterent: aliàs δεσποεύτικὰ, quòd contrarietate perficiantur: aliàs ἐπανορθωτικὰ τῶν συμφύτων ἀμαρτημάτων, quòd naturales defectus corrigant, vocari possunt. Sed generatim tamen rectè φυλακτικὰ appellantur, cum referuntur simpliciter ad ipsum genus sanitatis, quod est conseruandum, etiamsi aliqua illius generis species ita sunt comparata, vt non tam conseruari, quàm potius emendari debeant.

26. Siue autem priorem corporis temperaturam conseruare, siue vsu rerum non naturalium eandem corrigere & emendare liceat, obseruandum, num omnes corporis partes similem habeant intemperiem, an verò sint dissimiliter intemperata. Nam si similiter sunt intemperata, simili procuratione egent: Sin verò dissimiliter, & alijs calidioribus, alijs frigidioribus existentibus, dissimili opus habent, requirentibus nimirum singulis partibus dissimiliter intemperatis, peculiaria auxilia, pro conseruatione quidem similia dyscrasia, pro eiusdem verò correctione & emendatione, contraria.

27. Neq; igitur eodem modo omnes tales corporis partes exercebimus in cæteris etiam rebus non naturalibus, neq; equaliter humectabimus, neq; exiccabimus, aut tale aliud quidpiam agemus, si inæquabilis & inæqualis fuerit partium temperatura & κρῆσις, sed singula adhibebimus, prout natura vnus cuiusq; particulæ exposcit & desiderat: Quæ φυλακτικῆς & ἐπανορθωτικῆς similiarium partium sanitatis tuendæ sunt δεσποήματα.

28. Organicarum partium sanitatem conseruandi ratio in duobus potissimum consistit, nempe in consideratione eorum, quæ perfectam illarum partium sanitatem perturbant: & γνώσις deinde ac  
notitia

Notitia causarum & materialium salubrium, quae partibus hisce  
Organicis debentur & conueniunt proprie: ac causae quidem salu-  
bres instrumentarium partium ita à se inuicem distabunt, quem-  
admodum & hic ab optima constitutione delinquitur.

29. Aliud enim est genus causarum salubrium, quod debetur  
partibus organicis, ratione erroris διαπλάσεως: & aliud, quod  
ijs conuenit propter numerum, quo ab optima συμμετρίᾳ declinent:  
& aliud quod causa magnitudinis & quantitatis continua, aliud  
deniq; cum in situ & positu delinquunt. Vt enim his quatuor acci-  
dentibus secundum naturam se habentibus, sanæ sunt partes orga-  
nicæ: ita vel omnibus vel aliquibus eorum deprauatis, modò iam  
ægroant & laborant partes instrumentariæ.

30. In formatione plures contingunt errores, nam figura par-  
tis, & si qua in ea cavitates secundum naturam, vel meatus, vel  
orificium, vel asperitas vel lauitas, quãdo à naturali mediocritate  
recesserit, tunc ægroat pars organica, sicuti his differentiis se-  
cundum naturam constantibus ratione huius generis, rectè habet,  
valetq;.

31. Sicuti autem non quiuis leuissimus excessus qualitatum pro  
morbo simili haberi debet, sic neq; quiuis error, qui accidit ratio-  
ne formationis, pro morbo est habendus, siquidem enim parum re-  
cedat à naturali symmetria formationis partes organicae, salubri-  
um causarum retinent appellationem: sin verò amplius, insalubri-  
um. Quòd si tantus fuerit excessus, ut operationi afferat detrimen-  
tum, iam ægroare dicentur.

32. Alterum genus errorum, qui accidunt partibus organi-  
cis propter quantitatem μέγεθος, describitur duabus differen-  
tiis, nempe ὑπερβολῆ καὶ ἐλλείψεως, cum partes præter naturam  
sunt auctæ, vel nimis graciles atq; exiles, quàm illarum constitutio  
naturalis requirat. Atq; hæc duæ differentiæ totius generis corpora  
transferunt ad easdem differentiæ, quas modò in διαπλάσεως er-



roribus sumus persequuti: Aliàs enim causa quantitatís parum recedunt à naturali  $\sigma\upsilon\mu\mu\epsilon\tau\epsilon\lambda\epsilon\iota\alpha$ , ubi tùm salubrium corporum appellationem retinent: Aliàs partes longius recedunt magisq; aucta vel imminuta sunt, ubi tùm status neutralis vel insalubris simpliciter corpora occupat: Aliàs  $\upsilon\pi\epsilon\rho\beta\omicron\lambda\eta$  illa, vel  $\epsilon\lambda\epsilon\iota\sigma\iota\varsigma$  ita increvit, ut iam operatio partis lædatur, ubi tùm corpus ægrotare actu dicitur, & ut nunc insalubre vocatur.

33. In numero verò, siue vna siue plures, quæcunq; ex similari-  
bus partibus fuerint, aut deficient, aut superabundent, prædictæ  
corporum differentiæ conspiciuntur, ut ipsa nunc quidem salubria  
nunc autem insalubria aut neutra, nunc verò ægra dicantur: Ac  
quæ in numero redundant, duplicia sunt, alia quidem ex genere na-  
turali, licet præter naturæ institutum gignantur, ex copia aut mo-  
tu materiæ: alia verò præter naturam, ut  $\tau\omega\sigma\epsilon\gamma\upsilon\iota\omicron\pi$  in oculo, tu-  
berculum in naribus, lumbrici in ventriculo, lapis in vesica, & si  
quæ sunt eius generis.

34. Reliquum est aliud genus, quod ad situm cuiuslibet sim-  
plicis attinet partis, in quo & ipso quatuor sunt omnes differentiæ.  
Prima quidem quæ optima existit: Secunda verò, quæ parùm eua-  
riat, atq; ideo salubre adhuc efficit corpus: Et tertia, quæ insalu-  
bre, quando amplius à modo recesserit: Et quarta, quæ iam ægrum  
recessu plurimo reddit. Semper enim terminus morbum à sanitate  
distinguens, est sensibilis partium operationum læsio in morbo simi-  
lari & organico.

35. Quæcunq; igitur partes in figura delinquant, veluti quæ  
blesæ, varæ et obliquæ appellantur, hæc cum nuper natus & adhuc  
tenellus est formatione atq; alligatione, ad naturalem traducuntur  
habitum. Quòd si iam aucto infante ad duritiem peruenerint, emē-  
dari non possunt. Sic errores quidam qui ad cavitatem attinent,  
cum adhuc augeri perseuerant, correctionem admittunt: Cum au-  
tem iam ad vltimum peruenerint, nullus est remedio locus.

36. Cavi-

36. Cavitates igitur quiete atq; alligatione parua redduntur, magna vero partium operatione & spiritus retentione, sic & quaecunq; foramina oraq;: Asperitas autem et laeuitas, quoniam secunda sunt qualitates ex primis pronatae, si quando praeter naturam in membro constiterint organico, iisdem remedijs corrigi ac emendari debent, quibus alijs intemperies illas vel nudas vel materiales, quae asperitatem aut laeuitatem excitarunt, curamus.

37. Immoderatio corporis organici magnitudo, duobus generibus causarum salubrium corrigitur & emendatur, nempe quiete, & deinde accommodata & conueniente alligatione: augentur autem & naturali motu & frictione moderata, & quibuscunq; alijs plus sanguinis attrahere natura aptis.

38. Deficientes vero partes, quaecunq; ex sanguine ortum habuerint, corrigi quidem non est impossibile, quae autem ex semine, propemodum impossibile existit: licet tamen aliquando loco eorum alia facere, quae usum haud dissimilem praestant. Earum vero omnium natura opifex est, Medicus autem minister. Quae vero numero excedunt, his ablatis causa salubris existit: inspicere vero oportet, in quibus id fieri possit. Nam si impossibile appareat, transponere tentandum est.

39. Similis ratio & modus est corrigendi partium prouisum transferendo & reponendo eas in suum locum. Neq; in obscuro est, quod duo saepius aut tria vitia eandem partem occupare possint: Nam quemadmodum diuersa accidentia organica in parte se non excludunt, sed coniunguntur: Ita quoq; illorum accidentium organica vitia non se excludunt, sed coniungi possunt, ubi tum singulis peculiare & accommodatae causae salubres pro correctione & emendatione adhiberi debent.

40. Vnitatis autem solutio, etsi commune partium similarium & organicarum vitium, atq; hominibus in latitudine sanitatis collocatis etiamnum accidere possit, non minus quam reliqua uici-

αἰὼς αὐτὸς συμμέτρως vitia, & similiter à morbosa unitatis solutione sensibili ἐνεργειῶν læsione distinguatur, tamen quia hic affectus, unitatis pura solutio, aliàs leuior est, & à natura citra Medicæ opem curatur: aliàs verò maior existens, eadem, quæ morbosa unitatis solutio, postulat remedia, quæ quia ad Therapeuticen pertinent, inde sunt requirenda.

41. Ut quartam etiam ac postremam artis tuendæ sanitatis partem προφυλακτικὴν dictam paucis perstringamus, sciendum primò φυλακτικὰ αἰεὶ esse, quibus præsens hominum sanitas bona conseruatur in eo statu, in quo est, aut nonnihil lapsa in deterius, corrigitur nullo respectu futuri morbi: Sed προφυλακτικὰ αἰεὶ sunt, quæ respectu futuri & impendentis morbi adhibemus, quorum alia ad salubrem artis partem pertinent, quæ administrantur homini sano etiamnum necdum ægrotanti: Alia verò hominibus iam actu ægrotantibus, & sanitatis terminum egressis, quæ ad θεραπευτικὴν pertinent.

42. Causæ salubres sanitatem efficientes trifariam distinguuntur pro varietate ipsorum affectuum, qui certis etiam causis fiunt, facti sunt, aut futuri censentur: Nam aliæ causæ salubres sunt eius intemperaturæ, quæ iam facta est, quæ causa etiam efficiente ipsam sublata persistit & perseuerat, morbus scilicet factus iam existens, & non amplius fiens: Et aliæ sunt causæ eius ægritudinis, quæ partim facta est, partim etiamnum fit. Alia enim adhibemus pro curatione eius quod iam factum est, & alia applicamus ei quod fit. Tertiò sunt etiam aliæ causæ salubres eius ægritudinis, quæ nondum adest, sed futura est: talibus enim causis prohibemus & intercipimus generationem prauæ illius διαδέσεως, cuius semina modò & causæ in corpore consistunt.

43. Causæ salubres, quæ futuros morbos respiciunt, vel considerantur in προφυλακτικῇ Medicinæ parte, vel in salubri: si namque homini sano imminet futurus morbus, προφύλαξις hæc ad salubrem

lubrem



salubrem: Sin verò homini aegroto iam, vel præsentis morbi augmentum, vel alterius morbi aduentus & insultus imminet, provisio talis ad προφυλακικὴν artem, quæ θεραπευτικῆν inseruit, pertinet.

44. Causarum salubrium, quæ morbis factis conveniunt, consideratio ad Θεραπευτικὴν Medicinæ partē pertinet: Tertia autem & duobus extremis interiecta διάθεσις morbida (morbus scilicet partim fiens & partim factus) ut de utroq; extremo participat: sic etiam causæ salubres, quæ huic διάθεσι conueniunt, compositæ sunt ex θεραπείᾳ & προφυλάξει.

45. Iam enim factam atq; existentem aegritudinem curare oportet, sed quæ nondum quidem adesse, at futura est, prohibendum est, ne fiat ab ea, quæ in corpore est, dispositione. Eius autem quod adhuc sit, quod quidem factum est curare opus est, quod autem futurum, prohibere ne fiat. Ut autem facta aegritudo curatur soluta ea dispositione, à qua primùm ea, quæ secundum naturam laedebatur, operatio, quam et causam morbi dicimus: Ita prohibebitur futura, sublata ea dispositione, quam sequi natura apta est, talis verò dispositio causa antecedens vocatur.

46. Ut autem in morbis fiensibus προφυλακικὰ ἄλλα respiciunt ipsas causas antecedentes, quibus fiant & generantur morbi in corpore: sic insalubrium quoq; προφυλάξει causæ prophylacticæ conveniunt ipsis quodāmodo causis antecedentibus, ex quibus tales vel tales morbi progigni & excitari possunt in homine etiamnum in latitudine sanitatis constituto.

FINIS.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several paragraphs and is mirrored across the page.



Q 4077 a

ULB Halle


3

002 186 144



55-







DISPUTATIO ME-  
DICA DE TVENDA SA-  
NITATE.

QVAM  
*Deo vno & trino adiutore,*

PRÆSIDE CLA-  
RISSIMO VIRO D. ANDREA  
PLANERO ATHESINO, ARTIS ME-  
*dicae Doctore, & eiusdem in inclita Academia Tubingensi Pro-  
fessore ordinario, Præceptore suo omni pietate & ob-  
servantia colendo 16. Nouemb. hora consueta,  
in auditorio Medicorum, pro ingenij  
sui tenuitate defendere co-  
nabitur*

Ioannes Georgius Ienisch Augustanus.



TVBINGÆ,  
Apud Georgium Gruppenbachium.

ANNO M. D. LXXXIII.